EMBLEMA CXLIX.

Mundi felicitas puerorum ludus.

CXLIX.

Toto ſic luditur orbe.

Ludendi ſolita eſt pueris,& magna voluptas,
In trabe cum puerum tollit in alta puer.
Trabs in ſuppoſito tranſuerſùm maxima trunco,
Aut motu facilis pertica longa,iacet;
Mox alacres huius ſcandunt extrema puelli,
Et ſua in oppoſita corpora parte locant,
Nec mora, vt in torto iactantes membra petauro,
Motibus alternis ima,vel alta petunt.
Pondere nunc grauior terram hic defertur ad imam;
Iſque, ex aduerſo,qui ſedet,alta tenet.
At vice mox versâ deſcendere cogitur iſte,
Euolat aſt alter, qui prius imus erat.

Sic